



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Æquum dominium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

videri visum, cæcitatibus indicium esse: quippe quod ostendit, aurium tantum beneficio percipi, quæ oculis legi consueverunt: Idemque significari, si per singulos manuum digitos oculos quis dispositos inspexerit: propterea quod cæci tentabundi, manus oculorum vice utantur. Quæ quidem commenta cum mecum, jam à Leoniceo monitus reputare cœpi, Ægyptiorum inventis tam similia esse conspicio, ut inter hieroglyphica non immerito locum habere posse videantur: quod & pictura commode possunt exprimi, & certam rei rationem suscipiunt. Ad hæc Τηομεις: Vera quidem, & nulli non approbanda sunt hæc, ornatissime Raneri, quæ dicere commentus es, atque ego in easum sententia, ut nihil fere differre putem. utrum talia quæ recitasti, an vetusta ea hieroglyphica præponi debeant. Sed quoniam in aures incidisti, venit in memoriam mihi, in iis etiam esse multa, quæ doctrinam sapiant Ægyptiacam, qualia quæ sint, si permittant socii, libenter enumerem. At quid (responderunt omnes) acceptius & jucundius sit nobis futurum, hoc præsertim sermone suscipere, polyhistor noster Thomæ Leonice, cum quanta qualisq; sit eruditio tua ignoret nemo? Tum illi: Vestræ hoc est benignitatis dictum, nam nostra quam pedestria sint satis intelligo, sed qualiacumque dicam tamen.

ÆQUUM DOMINIUM. CAP. XXIV.

Nat. Co-
mes lib. 2.
cap. 1.

Apud Græcos in Creta simulacrum Jovis absq; auribus fuisse fertur: argumento, ut qui ceteris jura daturus est, neminem ullum privatim auscultare debeat, sed omnibus publice consulere. Eaque de causa sapienter Alexander vere Magnus, alteram præbere aurem accusatori, alteram reservare solitus erat. Quod si quis eum, aut judicem aliquem aurem unam vel avertentem, vel manu adpressam obturantem effinxerit, ad hujusmodi significatum non inconcinnum, ut puto, fecerit hieroglyphicum.

SAPIENTIA, CAP. XXV.

Simulacrū
Apollinis.
Auctor Ze-
nedorus ex
Aristophane
Grammatico.

Quatuor vero aures manusque totidem, quibus Lacedæmonii simulacrum Apollinis præditum esse voluerunt, vero nimirum hieroglyphico, nihil aliud significabant, nisi sapientiam, cujus Deus ille symbolum esset. Eam autem & multarum rerum auscultatione, & operibus eandem agendis comparari. Non enim digne sapientem eum dixeris, qui se rerum cognitioni tantum emancipaverit, nisi & facta, quæ probes, inspicias, quæque is & diligenter & probe examinarit, in utile aliquid vel sibi vel aliis opus promulgarit. Res enim gerere, & captos ostendere civibus hostes attingit solitum Jovis, noster ait Horatius. Neque me fugit alios esse qui hieroglyphicum hoc Lacedæmoniorum summo Deo attribuunt, quia summa rerum sit Pythagorica *μεγίστη*: de qua multa dicenda essent, sed enim non sunt hic ad commemorandum necessaria.



DE NASO

SAGACITAS. CAP. XXVI.

Nasus &
aures.

Quoniam vero Nasus est inter aures, interque oculos medius, non est hic prætereundus. Eius autem hieroglyphicum præcipuum est, sagacitatem indicare: Nasutiq; vocabulum Festo sagacem notat, quod uniuscujusque rei odorem statim explorat, & prius scilicet sentiat quam insperet. Sic auritum, ab audiendi curiositate dictum. Sic oculatum, qui ex prompto oculi utitur beneficio. Sic cordatum qui corde præstet. Tu vero, URBANE pater, quia sacræ literæ odoratum sæpe Deo Opt. Max. attribuunt, quo sensu sit nobis accipiendum, explicare ne graveris precor. Tum tu Patruæ: De Naso quidem unum tantum nunc succurrit, quod ad hanc rem facere videatur, Nares quippe in Deo perfectæ